PANEGYRICUS

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

D. JOANNI BAPTISTÆ CHIAPPE'

GENUENSI

Ordinis Sancti HIERONYMI Congregationis
B. PETRI de PISIS

EPISCOPO NUCERINO

DICTVS

IN COLLEGIO S. JOANNIS BAPTISTÆ

'A' PRESBYTERO LAURENTIO ANGELINI DE MORISCO
FIRMANÆ ARCHIDIŒCESIS

Honeſtarum Artium Nuceriæ primo Publico Profeſſore

Socio Letterario Umbro Accademico Errante già Raffrontato di Fermo e frà i Riſorti di Bologna
Titiro Anfriſio l' Allegro.

FULGINIÆ MDCCLXIII.

Typis Franciſci Foſi Impreſs. Soc. Lit. Umbr. S. Offic. Spoleti & Epiſ. Nucer.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google



A. R. S. MDCCLXIII. REIP. VMBR. CONSTIT. IV. KALEND. OCTOB.

FVLGINIAE IN CVRIA REIP. LITTERARIAE VMBRORVM SCRIBENDO ADFVERVNT ALEXANDER BARNABO P. M. F. DICTATOR AQVILANTES MANCIA A. F. PRAETOR IOSEPHVS TORELLVS H. F. CENSOR ASCANIVS RONCALLVS L. F. AEDILIS DECIVS DE HONVFRIIS AB. AN. ROM. C. F. QVAESTOR

CENSORE IOSEPHO TORELLO REFERENTE AD CAETVM VNIVERSVM IN LIBRO EDENDO ITA SCRIPTO = *PANEGYRICVS ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D. IOANNI BAPTISTAE CHIAPPE' ... EP. NVCERINO DICTVS ..... A PRESB. LAVRENTIO ANGELINO* . . . VT SI EI VIDEATVR REIP. NOMINE ATQVE INSIGNIBVS VTI LICEAT D. E. R. I. C.

Digitized by Google

QVOD BONOS BENE AGERE OPTANDVM EST ET VT PRODESSE QVAMPLVRIMIS VELINT LIBRVM ITA INSCRIPTVM = *PANEGYRICVS ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D. IOANNI BAPTISTAE CHIAPPE' ... EP. NVCERINO DICTVS ... A PRESB. LAVRENTIO ANGELINO* . . . ET SAPIENTVM VIRORVM IVDICIO COMMENDATVM ADHIBITO REIP. NOSTRAE NOMINE ATQVE INSIGNIBVS VVLGARI VELLE ET AEQVOM CENSERE ID ITA FIERI I. V. E. E. R. P. F. S. V. C.

PHILIPPVS BETORVS BERARDVS A, F, SCRIBA REIP, LITTER, QVAE FVLGINIAE EST,

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME, AC REVERENDISSIME PRÆSUL

INtelligebam muneri meo non ſatis conſultum iri, ſi ſtudiorum meorum fructus licet immaturos unam diem ſupprimerem. Sciebam non defuturos malivolos bene multos, qui me ſermonibus ac rumuſculis, quibus tantopere delectantur, vellicarent. Ego vero detractorum vocibus calumniiſque occurſurus, & aliquam gratiam relaturus tibi, amantiſſime Joannes Baptiſta, per quem occaſio nunc mihi datur videndi & ſalutandi ſapientiſſimos Viros, & fruendi conſuetudine lectiſſimorum Civium, & honeſtiſſimæ Juventutis, cui ex Ludo (a) Amanduleo perhumaniter accitus ac præfectus ſum erudiendæ, hos viridi planta quam recentiſſime natos fructus edere decrevi, & in hoc exiguo libello tibi in omni eruditionis atque humanitatis genere perfecto ac perpolito offerre dicareque: Nam Deum immortalem teſtor nihil umquam a me verius magiſque ex animi mei ſententia dictum eſſe, quam ea, quæ nunc excidunt ex ore meo: præter te, vel etiam in ultimis terris ſi requirerem, facile reperirem neminem, cujus auctoritas refelleret coerceretque maledicorum effrænatam invidiam, ac mordacium moroſorumque, quibus redundant omnia, morſus atque impetus debilitaret. numquam pœnitebit me laboris & induſtriæ meæ. quid enim turpius, quam nos florentiori ætate in hoc optimo maximo Collegio tuis ſumptibus ex integro ædificato ignavos ſocordes inexercitatos inglorios ſedere in otio? Scio bonos omni lolligine ſepoſita judicaturos, me non meritorum tuorum amplitudinem feciſſe parvi; ſed ad præbendum, quod jure quidem optimo debetur tibi, bene ac ſapienter direxiſſe conatus meos; atque etiam non ingenium meum, quod ſentio, quam ſit in me perexiguum, oſtentare me auſum; ſed rependere dumtaxat contendiſſe addictiſſimi animi gratam quamdam ſignificationem quum erga te mei, tum tui

erga

(a) *Amandulæ Publicus Profeſſor Grammatices & Rhetorices ſeptem annos, a quinto Idus ſextilis A. R. S. MDCCLV. uſque ad quintum Idus ſextil. A. R. S. MDCCLXII., & electus ac vocatus A. R. S. Idibus Maji ab humaniſſimis ac clariſſimis Antianis Populi Civitatis Ripæ Tranſonis cum emolumento octoginta ſcutatorum, majori præmio donatus.*

Digitized by Google

erga liberales diſciplinas atque ingenuas artes: quibus incenſum inflammatumque a teneris uſque, ut Græci ajunt, unguiculis prohibuere te nullæ umquam quamquam ampliſſimæ Generalem in Romana Curia Procuratorem inclytæ Congregationis tuæ ſollicitudines, nullæ quamquam diurna nocturnaque manu in Sacræ Congregationis de Propaganda Fide percelebri Gymnaſio ſcientiarum terentem volumina arduæ vigiliæ, nullæ quamquam maximæ graviſſimorum negotiorum Nucerinæ Diœceſis tibi impoſitæ moles: quas tu ab hinc octo & triginta annos ſumma tua cum laude, & omnium pene gentium admiratione ſuſtines. Quamobrem ego adhortatus ipſe me, & animo conſtitutus, nec mihi factus eſſe videor audax, quam ſoleo pluſculum, majora atque eruditiora volumina ætatis noſtræ tibi, veluti Præſuli clariſſimo, ad quem illa potiſſimum tueri ſpectet, dicanda forent opinor. Hoc judicio inconcuſſus ipſe & immotus contrarios ſpei, & timoris imo corde meo affectus vehementer moveri ac excitari ſenſi: ex altera parte immortalem generoſæ beneficentiæ tuæ largitatem ad omnes & ad me præcipue juvandum propenſam ſi tacitus mecum ſæpe cogitem; ex altera vero munus, ſi aut ſuam aut tuam dignitatem contempler, perexiguum: quod omnigena tibi eruditionis & ſapientiæ laude prædito totis artubus contremiſcens præponere rubeſco. denique poſt multum variumque certamen vicit ſpes, ceſſit timor: Etenim, me judice, niſi operæ pretio, ſaltem animo jucundiſſimo, qui me ad meæ erga te obſervantiæ atque devinctiſſimi officii publicam fidem prælo dandam impellit, abs te lubentiſſime ferar. quod ſi conſequar, ut ſpero, ſane quidem ſtudia mea non exiguo compenſata eſſe fructu exiſtimabo. Itaque quum me non lateat tuum eſſe non tam propriam, quam aliorum tueri & augere gloriam; hoſce quantuloſcumque ingenioli noſtri fetus in tui gratiam exaratos, dignitatis plurimum conſecuturos eo tandem amore fove, quo reliquorum ſtudiis favere non indignaris: ut meus alioqui erga te accenſus animus, magis & magis in dies ſingulos accendatur inflammeturque, ut omni conatu primo quoque tempore, atque adeo ævo perpetuo glorietur de te bene mereri. Vale. Nuceriæ ex Collegio S. Joannis Baptiſtæ tertio Idus Novembr. MDCCLXII.

Humillimus, devmus, ac devinctmus Servus
Laurentius Angelini.

P A-

PANEGYRICUS.

MAximum & ampliſſimum munus hodierno die a me ſuſceptum video, qui dignitati ac magnitudini rerum, de quibus dicturus ſum, omne ingenium & eloquentiam imparem eſſe cognoſco. Ubinam latius ubinam ſublimius mea potuiſſet verſari Oratio, quam dicere de Te, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Joannes Baptiſta, quem non modo hæc ampliſſima (*a*) Nucerina Diœceſis, verum etiam totius Italiæ ambitus ut ſingulare quoddam decus ac ornamentum admiratur? Nulla gloria poteſt eſſe major, nulla illuſtrior, nulla firmior ſempiternis ſæculorum ætatibus, quam (*b*) laudari ab omni hominum genere fama meritorum. Quibus ego adductus, antequam te vidiſſem, mirifice colebam, habebamque animo comprehenſam imaginem quam clariſſimi ac ornatiſſimi Epiſcopi; quumque ſuperioribus proximis literis acceptis venire ad te conſtituiſſem, exiſtimabam me recentem hominem ad priorum temporum optimum maximum quemque Heroem eſſe iturum. Eſt enim ubique vetus hominum opinio eſſe te quum mentis tum ani-

(a) *Dicitur ampliſſima, quod ſit contermina Diœceſibus Eugubin. Fulgin. Aſſiſien. Camerinen. Callien. Foroſempronen. Spolet. Senogallien., & quod plures habeat Parœcias in Guberniis Camerin. Fabrian. Fulgin. Tertuſ. in Gubernio Marchiæ in Territ. Rocchæcontradæ, in Legatione Urbini in Territ. Eugubii, & Pergulæ.*

(b) *Franc. Pat. de Rep. l. 5. c. 3.*

animi dotibus tam excellentem, ut ex te uno (a) ætas noſtra poſſit in omni genere laudis cum antiquitate certare. Quænam igitur tam affluens eleganſque dicendi copia, quæ tanta ingenii vis atque majeſtas exorſui ſatis digne ſufficiat? Multos vidi, multos ipſe cognovi aurei noſtri ſæculi præſtantes viros, qui præditi eſſent una quapiam virtute ſingulari: in quo vero virtutes omnes omnem vim ſuam exprimerent præter te cognovi neminem. Nihil (b) enim te ventoſa ambitio, nihil inexplebilis avaritiæ fames, nihil furor ſanguinis exæſtuantis, nihil effrænata gula, nihil ſopor, nihil deſidia, nihil timor periculorum tempeſtatumque jam inde uſque a pueritia ab inſtituto gloriæ curſu retardarunt. Patet unicuique prudentia tua. Conſtricta jam multorum conſcientia tenetur juſtitia. Qui cultus & cuſtodia fuerit vitæ tuæ, ubi maximos laborum aggeres quam ſtrenue ſubieris, quouſque laudum præconia ex tot tantiſque præclariſſimis rebus geſtis caluerint, quem arbitrer ignorare? Sed proh ſuperi atque hominum fides! Hic tamen amore virtutum ardet. ardet? immo vero etiam in dies ſingulos vehementius incenditur inflammaturque tantum recipere incrementi, quantum meliore ætate quiſquam vel umquam antea. Hic nihil, quod non conſilium divinæ prudentiæ moneat, ampleſtitur. in veſtigandis pauperum egeſtatibus ſollers, in ſublevandis juxta vires quam maxime promptus eſt. hoc magnifico Collegio ex integro ædificato non modo in præſens tempus animorum fructui ſervit, quod eſt ſumma laude dignum; ſed etiam poſteritatis utilitati conſulit: quo poſt hominum memoriam laudabilius nihil poteſt excogitari. Hic debitum Deo cultum exhibet, jus ſuum cuique tribuit, bonos præmio donat, malos dat pœnæ. Hic motus animi compoſitos vertit in ſanctam frugem. Hic pro Populo ſibi credito omnes acerbitates cruciatuſque non ſolum fortiter, ſed etiam lubentiſſime patitur. ſit immortalitatis in mundo par-

(a) *Tacit. Annal. 3. Non omnia apud priores meliora, ſed noſtra quoque ætas multa laudis imitanda Poſteris tulit.*

(b) *Elocutio ex primo fonte Ciceroniano in Catilinam toto ferme in laudem exhauſto: & ob hanc præſcriptionem quod exinde excerptum eſt nuſquam in reliquo dictionis contextu notatur.*

Digitized by Google

particeps. notat & deſignat oculis ad vitam unumquemque noſtrum. Nos autem muneri noſtro ſatisfacere videmur, nec tamquam Sigaleones (*a*) in ingrato ſilentii templo collocati habebimur, ſi de quatuor virtutibus ceteriſque ornamentis, quibus præpotens ſua mens animuſque componitur, quantum virium nobis eſt, diſſeramus. cupio tamen in hac dicendi provincia me eſſe temperatum. cupio in tantis laudibus non diſſolutum videri. Verum quo magis aptum piumque ſit vos beatiſſimi cœli accolæ Joannes Baptiſta, & Emygdi hujus operoſiſſimi Ædificii Statores precari, ut mihi digna præſtantiſſimo Epiſcopo, digna graviſſimo Sacerdotum conſeſſu, digna clariſſimis Civibus, digna denique toto hoc florentiſſimo Auditorum cœtu contingat oratio, utque (*b*) omnibus, quæ dicentur a me libertas & fides & veritas conſtet; tantumque a ſpecie adulationis abſit oratio mea, quantum abeſt a neceſſitate, & quantum ad me attinet conſiderabo quid aures tuæ, modeſtiſſime Præſul, pati poſſint, quam quid virtutibus debeatur. Nullum enim periculum eſt, ne quum loquar de prudentia exprobrari tibi imprudentiam credas, quum de æquitate injuſtitiam, quum de moderatione intemperantiam, quum de fortitudine timorem: quum mentem bonam ac firmam, animum potentem & exercitatum ad omnia prudenter, juſte, temperate, & fortiter gerenda præteferas. Verum enim vero tanta eſt tuorum copia meritorum atque laudum ſeges, ut non dicam ad exornandum, ſed ad enarrandum quidem poſſit ulla par oratio inveniri; adeo enim in rebus gerendis prudenter, illiſque adminiſtrandis juſte, adeo in tuo cuſtodiendo corpore frugaliter, & in perpetiendo quodlibet incommodum te fortiter oſtendiſti: ut proculdubio nullum reperire fas ſit tecum, pace aliorum dixerim, ne longo quidem intervallo comparandum. Quamobrem omne ſapientium Virorum concilium, omnes populorum catervæ & te vehementer admirantur & virtutum

(a) *Sigaleon ſive Harpocrates ſimulacrum apud Ægyptios in ſacris Iſidis & Serapidis, quod digito labiis impreſſo ſilentium imperare videbatur. De Iſid. & Serap. ſcribunt Herodotus l. 1. Diodor. l. 1. Macrob. l. 1. Saturn. Val. Flac. l. 4. Argon. & Juvenal. Satyr. 6. & 9.*

(b) *Plin. in Paneg. ad Trajan.*

tutum tibi triumphum voce maxima gratulantur . gratulantur vetuſtiſſimæ originis gloria , nobiliſſimarum familiarum amplitudine , optimorum ingeniorum ubertate , doctrinæ atque eruditionis cultu permagni facienda in Petra oppido , in quo olim Romani Pontifices nunc Januenſis Reſpublica dominatur , eſſe te clariſſimo Patre natum , Avis , Majoribus atque adeo in illa luce (*a*) Pariſiorum antea quum fumoſis imaginibus rerumque copiis , tum toga ſagoque celebribus ; quorum , & Patriæ tametſi deeſſent ornamenta , non intermoriturum futuris ſæculis ſummum ipſe ornamentum eſſe poſſis , & tuarum ſplendore virtutum illis afferre lucem quamquam obſcuriſſimis , huic quamquam infimæ. Sed quid a Patria , quid a Parentibus inconſultus haurire contendo? hæc certo , ſi fortunæ debentur , talia ſunt , ut ipſa nullam tibi laudem afferant ; ſed abs te accipiant maximam : quum , qui ſuis ac propriis laudibus abundat , ei ornando aliena (*b*) conquirere , alienum atque abſurdum videatur : non enim tuæ laudes aut ex Patriæ ſublimitate , aut ex majorum prælustri ſanguine prolabuntur. Ii enim glorioſi (*c*) præter ceteros atque illuſtres videntur , etiamſi hæc humanarum rationum momentis expendere libeat , qui Deo (*d*) tantum freti , ea , quæ inter homines ſumma habentur , ſine ullis hujuſmodi præſidiis , ſua ſibi virtute , in qua (*e*) laus omnis conſiſtit , pepererunt. Tuo tibi ingenio , ratione vitæ mirabili ad laudem ac prope ſingulari ad gloriam , quæ umquam forent opus , paraviſti omnia ; quæ ne longior mea progrediatur oratio , præterire mihi eſt animus in præſentia , quum ex iis , quæ dicturus ſum , facile cognoſcatur. Quid? nonne a teneris , ut Græci ajunt , unguiculis & Domi tuæ & Genuæ pietatem cum ſcientia animo imbibiſti uſus optimis Præceptoribus tum ſapientiæ laude , quum vitæ ſanctimonia præſtantiſſimis , a quibus , velut dedalea apis ex floribus , omnem ſuccum eruditionis , omnem pietatis liquorem adeo delibaſti , ut , quan-

---

(a) *In vetuſto Codice MS. ex quo conſtat antiqua nobilitas Familiæ Chiappè.*
(b) *Sen. 41. Ep.* (c) *Luc.* 10. 20.
(d) *Marc. Ant. Muret. Tomo primo Orat.* 20.
(e) *Ariſt. l.* 2. *Eth. & Juven. Satyr.* 8.

quantum in ceteris ſparſum ac diſſeminatum erat, totum in tuùm favum colligens unus tantum poſtea profeceris, ut cum tua doctrina virtus, cum integritate vitæ tuæ ſanctitas ipſa adoleſceret? Quid? nonne ab ipſiſmet fere vitæ primordiis teneræque ætatis incunabulis præclarum virtutum ſpecimen & futuræ dignitatis indicium præteferebas? ſicut enim in herbeſcenti mollium ſegetum viriditate certa prope ſpes futuræ meſſis apparet; ſic nemo quiſquam tunc erat, qui non te a puerulo etiam, quum magis & magis accenſus inflammatuſque ſanctimoniam & literas colebas, ſive ingenii laude, ſive memoriæ felicitate, ſive moribus ad omnem pietatem & modeſtiam uſque compoſitis, qualis es, adfore (*a*) auguraretur: nam quantum profecto licuit, nihil loci ſapientiæ, nihil morum ſanctitati reliquiſti. Principiis (*b*) plerumque conſentiunt exitus, ſuaque ſequuntur exordia pares eventus. In laudatiſſima B. Petri de Piſis ſodalitate nec importunis amicorum vocibus, nec conviciis propinquorum, nec parentum minis deterritus (*c*) extrema pueritia mentemque animumque divinis rebus cœleſtique Numini conſecraſti: Ætas ut ſuperior, ſic & poſterior eſſe (*d*) ſolet. Quanta in Deum Religio! quanta in Majores obſervantia! quanta in omnes Socios humanitas! Nemo quidem in omni genere pietatis, nemo in omni exercitio philoſophico aut ſedulior aut frequentior. Ad punctum temporis virtutum omnium factus epitome, ineunte adoleſcentia quum non haberes ultra quid Neapoli & Romæ diſceres a doctiſſimis ac ſanctiſſimis (*e*) viris,

---

(a) *Studia, quæ ſunt in adoleſcentia tamquam in herbis ſignificant quæ virtutis maturitas, & quantæ frugis induſtriæ ſint futuræ. Cic. pro Cæl.*

(b) *A R. P. Camillus a S. Hieronymo Urbin. in Meth. Progymnaſtica pag. 36.*

(c) *Joannes Baptiſta Chiappè firmatus & conſtitutus a Parentibus adducendam uxorem, inconcuſſus ipſe & immotus in voto ſe adſcribendi in B. Petri de Piſis ſodalitate, dedit anſam Chriſtophoro germano & natu majori, ut e divi Dominici Religione, in qua nomen dederat, non multos dies ante profeſſionem egrederetur.*

(d) *Cic. Phil. 5.*

(e) *Præ ceteris Gullielmus Balla Neapolitanus. Eo Præceptore plures ex noſtris evaſerunt doctrina præſtantes, quos inter Joannes Baptiſta Chiappè poſtea Epiſcopus Nucerinus in Umbria. Ex hiſtoricis monumentis ordinis S. Hieronymi Congr. B. Petri de Piſis. Auctore Rm̃o P. Joanne Baptiſta Sajanello ejuſdem Ord. & Congr. nunc Rectore Generali. Tom. primo l. 2. pag. 202.*

ris, habuiſti quid doceres multa Romanorum omnium admiratione. Sed cogitat quis magnum Heroem attollere, genus avorum, & formam corporis perpendit; tamquam omnem laudem ex his duobus fontibus emanare: atqui ex altero ſi nullam ad te laudem pertinere diximus, alterum ſilentio involvimus. Jam firmitatem corporis ex membrorum omnium convenientia, & ex quadam quaſi partium conſeſſione ac amicitia conglutinati rubentiſque integro ſanguine, jam honorem capitis & dignitatem (*a*) oris, ad hoc ætatis indeflexam maturitatem feſtinatis ſenectutis inſignibus ad augendam majeſtatem niveos capillos longe lateque oſtentare te prætermittimus; quum turpe ſit, quum animum habeat homo, laudem (*b*) captare a corpore. liceat tamen dumtaxat dicere, animum tuum diverſorium, in quo habitaret, nec optaſſe majus nec finxiſſe excellentius. In immenſa quadam animi voluptate bacchabar, quum præcipuo ac ſingulari quodam ſtudio in tuas laudes me rapi ſentirem, tantam ſegetem amplitudinis afferri, quæ uberem dicendi copiam vel in dicendo parum verſato ſuppeditaret. Medullis intimis proſiliebam omnia in te virtutum ornamenta confluere, quæ ſatis ipſa per ſe innumeris prope argumentis dicendi rationem augerent, atque facundiſſimam cujuſque orationem efficerent: at quum meminerim æque magnum eſſe arduum ac difficile eum (*c*) laudare, in quo maximæ ſunt laudes, atque eum, in quo nullæ, quod in altero res ipſæ deſint orationi, in altero rebus ipſa deſit oratio, multus me obruit atque opprimit dolor. Nimirum in præſtantiſſimis animi tui virtutibus, quas potiſſimum delibare ut magis prædicandas, quas etiam in hiſce anguſtiis temporis minore jactura neſcio præterire. Inter omnes virtutes, quas natura ſtudio atque doctrina Epiſcopus conſequi poſſit, neminem fugit nullam eſſe præſtantiorem, nullam prudentia diviniorem. ſunt namque

(a) *Plin. in Paneg. & Suet. in Claud. & Cic. Offic. primo. 36. cum pulchritudinis duo genera ſint, quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas, venuſtatem Mulibrem dicere debemus: dignitatem Virilem.*

(b) *Bion. ut refert Laert. l. 4. c. 7.*

(c) *Franc. Benc. Orat. in funere M. A. Mureti.*

que ſemina (*a*) quædam in nobis virtutum veluti e divinis mentibus accepta, quæ paſſim ſparſa ſi colantur diligenter, homines jam non homines, ſed prope Dii (*b*) ſunt immortales. harum princeps & regina prudentia (*c*) eſt. Nihil enim omnium rerum melius eſt (*d*) mente plena conſilii ad omnia regenda: Hæc (*e*) enim quum accuratiſſima ſit imitatrix Dei, præſentia cognoſcit, præterita memoria tenet, futura vero longe in poſterum proſpicit atque contemplatur. Hæc mehercule (*f*) una virtutum, ejus propria eſt, qui imperat: Hæc ab æterna illa veritate Chriſto Domino ac Deo noſtro cum (*g*) morum integritate ac ſinceritate conjungitur. Etenim (*h*) nemo quiſquam prudens eſſe poteſt, niſi ſit bonus: quia prudentia (*i*) abſque bonitate malitia eſt, & ſimplicitas abſque ratione ſtultitia nominatur. Quæ quum ita ſint, Pontifex Optimus Maximus Benedictus Tertius Decimus in ſeligendis pro Dominico Grege Paſtoribus imitatus eſt Ægyptios; qui, ut tranquillitate & otio fruerentur, ut dignitatem Civium conſervarent libertatemque pretioſiſſimam intuerentur, prudentiſſimum e Sacerdotibus jubebant (*k*) Regem; quum perſpectum haberent & cognitum tunc omnia ſibi fore feliciſſima, quum prudentia gubernaculum Regni ſuſcepiſſet. Ille namque, quo ſui amantiorem Nucerini homines putant fuiſſe neminem, tibi Generali nuper

(a) *Senec. Epiſt.* 110.
(b) *Stob. Serm. de prud.*
(c) *Aon. Pal. Ver. Orat.* 7. *de prud.*
(d) *Idem Orat.* 12. *de felicit.*
(e) *Auguſt. ad Eremitas in Serm. de provid.*
(f) *Ariſt. l.* 3. *de Rep. c.* 3.
(g) *Matth.* 10.
(h) *Ariſt. l.* 6. *Eth. c.* 13. & *l.* 2. *Mag. Mor. c.* 3.
(i) *Hieron. ſuper Oſeam.*
(k) *Ludovic. Macchiavel. Orat. de prud.*

Digitized by Google

nuper inclytæ Congregationis tuæ (*a*) Procuratori, jamque in Almo Gymnaſio de Propaganda Fide publico Lectori, nemini certe, qui in Romanorum Lyceis eccleſiaſtica dogmata pertractaret ac ſacra divinarum rerum myſteria intelligeret, ſecundo, fama celebri impulſus hanc Eccleſiam anno poſt Chriſtum natum octavo & quinquageſimo ab ipſomet divo Chriſpoldo Hieroſolymitano Apoſtolorum Principis Diſcipulo, & poſt felicem ejus ad Superos tranſitum a Sancto Britio, & hinc a Sancto Feliciano (*b*) adminiſtratam, unde Concilium cœleſtium in ſedibus immortalitatis alios (*c*) dedicavit, tertium & trigeſimum annum agenti, raro ob ætatem inter Regulares exemplo, credidit gubernandam. O felices Clericos, o fortunatos Cives, o fauſtum Populum! Jam ex illa die cœli ſpiritus iſte jucundior eſt: vere novo ut virent agri, ut florent prata, ut pendulis frondeſcunt ſilvæ ramalibus; ſic ſpeciem quamdam videre viſi eſtis reviviſcentis Diœceſis veſtræ. Jam Nuceria, cui

---

(a) *Procurator Generalis Joannes Baptiſta Chiappè in Conſiſtorio an. 1724. menſe Novembris enunciatur Epiſcopus Nuceriæ in Umbria. Sequenti vero menſe die vigeſima emanat Bulla. Ortus eſt in Oppido Petra Albenganenſis Diœceſis an. milleſ. ſexcent. nonageſimo primo, die ſexta Julii. Adoleſcens habitum Religionis noſtræ aſſumpſit in Romano Cænobio an. milleſ. ſeptingenteſimo octavo, die vigeſima ſecunda Maji, ubi ſolemni Profeſſione emiſſa, & ſtudiorum emenſo curriculo, an. milleſ. ſeptingenteſimo tertiodecimo Philoſophiæ Lector creatus eſt nondum Sacerdos. Poſt annos tres Theologiam docuit ea ingenii ac doctrinæ felicitate, quæ Romam decebat; eo Purpuratorum ac Literatorum Virorum plauſu, quo dignus erat. Non multos poſt annos Almo Collegio de Propaganda Fide Lector Philoſophiæ datus ita ſe geſſit, ut ad Epiſcopalem cathedram aſſumi meruerit. Quid vero in Epiſcopatu egerit doctiſſimus ac vigilantiſſimus Præſul, illius Eccleſiæ Acta teſtantur. Vivit adhuc ejuſdem Eccleſiæ bono, & Congregationis noſtræ ornamento. Ex Hiſtoricis monumentis Ordinis S. Hieronymi Congr. B. Petri de Piſis. Auctore ſemel & iterum laudato Rmo Patre Joanne Baptiſta Sajanello ejuſdem Ord. & Congr. nunc Rectore Gener. Tom. 1. l. 3. pag. 417.*

(b) *Ughellius de Epiſ. Nuc. Fulg. & Interamnæ. Ciattus Hiſt. Peruſ. Cæſar Alex. Elog. Peruſ. & alii Scriptores antiqui, quos recenſet Jacobillius Fulg. Hiſt. Nuc. & Chronologia Nuc. Epiſ. vivis coloribus depicta in Aula magna Epiſcopii.*

(c) *S. Jacundinus. S. Raynaldus. B. Philippus. B. Joannes. B. Alexander Epiſ. Nuc. ex Chronologia Jacobil. & ex depicta ut ſuperius.*

cui (*a*) adeo ſeptem & decem ævа admodum ante ſalutiferum Virginis partum ſuperadditum nomen erat Alphatenia, quæ vix ulla laude digne ornari poteſt & rerum a ſe geſtarum incomparabili diuturnitate, & præſtantia clariſſimorum (*b*) Virorum, quos ſi mihi liceret nominatim proferre, o qui mihi campus eſſet, in quo excurrere & exultare, & cum antiquis Græcis & cum Latinis multa conferre, inter amænos Colles concluſa, ubique beata dicitur non modo ſaluberrimi aeris afflatu, & aquæ notæ ſcaturigine (*c*), & ſamiæ Terræ dono; verum etiam magnitudine egregiorum operum & ſuccreſcentium multitudine virtutum. Patent nunc fores munificentiæ univerſis, ut eorum lectiſſimorum Prædeceſſorum, quorum memoria tanta habenda eſt, quanta generoſæ liberalitatis fama perſonat, olim patebant. In hoc fecundo ac feraci ſolo jecerunt illi munificentiæ ſemina, quæ eo uberiores fructus ferunt, quo melioribus jacta principiis, meliore quotidie cultu, maturioreque induſtria, & oneroſiore dextera excoluntur. Enim vero qua benignitate res frumentaria dividitur? Quantæ curæ tibi eſt, ne quis expers liberalitatis tuæ fiat? Te parvuli noſcunt, oſtentant juvenes, mirantur ſenes; qui ad Te, humaniſſime Præſul, quaſi ad ſuos prorepere. qui dies umquam, quo non magni concurſus pauperum? quibus illi animis incedunt? quo deſiderio flagrant? qua ſpe feruntur? tantumne poteſt unius hominis liberalitas? itane tandem commovet egenas turmas? O egregiam pietatem! o admirabilem munificentiam! liceat mihi aliquando paullo liberius loqui, & ita loqui, ut neque (*d*) vera laus tibi detracta oratione noſtra, neque falſa afficta eſſe videatur. Quoties pro ſe quiſque notavit oculis referta tecta ac laborantia ac ne ullum qui-

(a) *Gabin. Letus in Epiparchia Ital. Volaterran. in Geogr. & ceteri, quibus ſuffultus eſt Jacobil. Hiſtor. Nuc. Sunt & qui Nucer. Urbem volunt conditam ab Jano primo Italorum Rege Filio Jafet filii Noe. Franc. Feliciſſimus, & Durantes Dorius in Commentariis Nuceriæ MS.*

(b) *Jacobil. tribus capit. firmat & enarrat Nucerinos homines claros armis, præſtantes doctrina, & dignitatibus illuſtres.*

(c) *De Nuceriana Terra Samia, & ſaluberrimo Latice ſcribunt Aloyſius A' Fabra & Floridus de Plumbis celebres Philoſophiæ & Medicinæ Doctores.* (d) *Cic. pro Lege Manil.*

quidem vacantem locum? quoties pro ſe quiſque vidit oppleta limina, anguſtumque tramitem vix relictum, alacres hinc atque inde pauperes, ubique par gaudium paremque clamorem? Ac jam illa omittimus: neque enim ſunt aut obſcura aut non multa ſanctius geſta: quoties (ſi quæ ficta loquimur, Dii nobis ſint irati) puellis nuptui tradendis, vix ſupplicibus ab his libellis tibi oblatis, tuo more magnam vim pecuniarum largitus es? quoties ingenuas familias, quas mendicare publicitus ſtipem pudet, tacita annonæ atque pecuniæ largitione liberaliſſime juviſti? veh poſteris tuis! quos divitiarum tuarum fallet opinio. teruncius haud erit reliqui: quum omnem pecuniam acceptam relatam gregi tibi commiſſo expenſam feras (*a*), manticas invenient diſſutas, in quibus ne quidem reconditæ pecuniæ veſtigia apparebunt. quamquam quid loquor? Majores (*b*) nido pennas extenderunt (*c*) Griphes. Habet (*d*) ſuos impetus pietas: quæ nec (*e*) oblivione eorum, qui ſunt, nec reticentia poſterorum ſepulta eſſe poterit. Vos Gualdenſes homines appello: dicite vos quanto hic amore in vos exarſerit, quanti ſteterit huic vita veſtra. nonne veluti Paſtorem vigilantiſſimum, qui ſuo gregi famem explere nititur, & veluti amantiſſimum Patrem, qui filiolos ſuos & ſaturandi & cooperiendi ſollicitudine urgetur hunc fuiſtis erga vos incenſum inflammatumque experti? nonne (*f*) velociſſimi ſyderis more omnia inviſere, omnia audire, & undecunque invocatum ſtatim Numen velut adeſ-

---

(a) *Apud bonos Auctores divinæ illius Ciceronis ætatis acceptum referre eſt quod perverſo loquendi modo dicunt ponere ad introitum, expenſum ferre eſt id, quod corrupto ſermone dicunt ponere ad exitum. Hadrianus Cardinalis in aureo libello de modis latine loquendi plurimis auctoritatibus ſuffultus uberrime differit pag. 17. & ſequen.*

(b) *Prov. ſe amplius efferre, quam ferat fortunæ ſuæ tenuitas. Horat. l. 1. Ep. ultima.*

(c) *Griphes inſignia gentilitii ſtemmatis Chiappè, in Hyperboreis naſcuntur montibus, quadrupedes volucres, recurvis unguibus, dorſo nigri, priori parte purpurei, alis albicantibus, ore aquilino, igneis oculis, difficiles captu. De his Plin. l. 10. c. 49. Solin. c. 16. Pom. Mela l. 2.*

(d) *Quint. Dec. 6.*

(e) *Cic. Phil. 14.* (f) *Plin. in Paneg.*

Digitized by Google

adeſſe, & adſiſtere? veſtra (*a*) admurmuratio facit, ut, quæ hic fecerit, maxima voce prædicare videamini; & jam quaſi (*b*) theſaurum quemdam rerum pulcherrimarum ac pretioſiſſimarum aperientes ſpectandumque proponentes evolvere & explicare vera illa & fulgentiſſima prudentiæ lumina, quæ hunc ævo perpetuo vobis amabilem & admirabilem reddiderunt. Ipſa tua humilitas, clariſſime Præſul, quamvis id appetat, non patitur diſſimulari. Video enim eſſe hic in tuo me dicentem ferentis conſpectu nonnullos ex iis, qui in ſatis auri atque argenti nota, inque bigarum pretio, inque linteis ſtragulisque iisdemque ſubuculis tuis acquieverunt. Hoſce tecum ſic agere & quodam modo tacitos hic in florentiſſimo ac clariſſimo cœtu loqui velle mihi videor audire. Magna Deo immortali habenda gratia eſt, quod nobis frui contigit ampliſſimo fructu prudentiæ tuæ. Ab hinc decem annos amplius magnus fuit noſter luctus, nunc vero major lætitia. Jam terræmotibus quam maxime diuturnis (heu dolor! non poſſumus ſine lacrimis dicere) mœnia diruta, templa disjecta, turres collapſæ, palatia everſa, domus diſcerptæ, denique ferme vox ipſa (*c*) Gualdum jacebat ſepulta ruderum acervis. Nos liberalitatis Pontificis optimi maximi Benedicti Quarti Decimi, qui ad plura millia nummûm plurium annorum vectigalia publico bono adjunxit, multorumque Eminentiſſimorum Patrum largitatis, multorumque Antiſtitum beneficentiæ buccinatores fore pollicemur, & id firmo conſtantique animo faciemus. Unum vero tibi fortaſſis ignotum erit nos quidem hic non tam ingentes laudes munificentiæ tuæ attollendi, quam gratiarum agendi cauſſa ſurrexiſſe eo nomine, quod ſicut tuis ſuffragiis, tuo merito, atque exemplo plena manu fuerunt ii omnes præſto, ſic tua opera atque adeo ſumptu ita Gualdo deterſus ſit ſquallor, illudque labefactatum & convulſum ita reſtitutum, nihil ut abs te, cui ſi facultas id ipſum perficiendi fuiſſet, non dicimus poſtulare, ſed

 ne

(a) *Cic. pro lege Manil.* (b) *M. A. Muretus Orat. 20. in funere Pii Quinti P. O. M.*

(c) *In recentioribus Validum, in antiquis codicibus Gualdum compertum habemus, & ut ſuperius Gualdenſes.*

ne ſperare quidem magis potuiſſemus. Itaque quis nos arguet; aut quis umquam criminabitur, aut quis umquam nobis jure ſuccenſeat, ſi hoc loco, qui nullam habet reprehenſionis anſam nec iræ, appellemus nos te iterum ac tertio Paſtorem, & Patrem optimum? nam quid hoc eſt? quantum alii ad res ſuas obeundas, quantum ad augendum patrimonium incumbunt; tantum tu ad Gregem tibi creditum cogitationem, mentem, animumque convertis. Proh bone Deus! ſerva hunc, humillime a te precamur, ſatis diu incolumem, qui ſe ipſum defraudans & vitam ſuam nos innutrivit laborantes cibo, & obtexit egentes veſtitu: qui (*a*) erexit nobis muros everſos; ſtare fecit portas & ſeras, & erexit Domos noſtras (*b*). Cui tantum uni, quantum Parentibus ſuis quiſque debet, ejus ingens gloria ingenſque fama vigeat (*c*) memoria ſæculorum omnium, illam poſteritas alat, illam ipſa æternitas (poſt Cœlum tantarum vigiliarum mercedem) ſemper tueatur. Ad quas ipſe voces (*d*) lacrimis etiam ac multo pudore ſuffunderis; & ego magnopere excitatus atque commotus prudentiæ tuæ multarum laudum, quarum me ceperat oblivio, recordatus ſum. Quis turbulentiſſimis temporibus hujus miſeræ & afflictæ Civitatis magno tumultu undique concitato, coortis undique tempeſtatibus, quum turpiſſima erat ſua facies ſumma trepidatione bonorum, quum ſalus omnium ſummum in periculum ac diſcrimen vocabatur, quum formidoloſus ille pugnantium exterorum militum & inundantium copiarum concurſus importunam faceret impreſſionem, non vidit in quam gravem & acerbam fortunam neceſſe fuit Cives umbram (*e*) ſuam metuentes incidere? jam univerſæ domus de-

(a) *Eccl. 49. 15.* (b) *Singula ſuperius expoſita, quæ Gualdum, & Gualdenſes attingunt, habita ex quotidiana omnium commemoratione, & excerpta ſunt ex vernacula Epiſtola grati hominis Gualdenſis A R. D. Laurentii Amoni-Leli prævia doctorum virorum carminibus magnifice idem prædicantibus ab eo collectis, & Peruſiæ 1752. Conſtantini, & Mauritii Typis edit.*

(c) *Cic. pro Marcel.* (d) *Plin. in Paneg.*

(e) *Prov. ad nimium timorem ſignificandum. Q. Tullius Cic. Commentariolo petitionis ad M. Fratr.*

depopulatæ ſunt. jam Sacrarum Virginum Cœnobia, quo aurum atque argentum, quo pretioſiora aſportata, auxilium expectare propter periculi magnitudinem cogebantur. Roget aliquis, & quæ animo concepta habet ex ore excidant, quis ne quid illa detrimenti caperent per immanium gentium eluvionem imminentibus malis occurrit? peream niſi unus, omnes inquient, Chiappè. Quis illa non modo tanta calamitate ſed etiam calamitatis formidine (*a*) liberavit? Chiappè reſpondebunt. Hoc immortale factum ne ullius quidem indiget auctoritate: tunc enim omnibus id palam fuit, tibi precibus & lacrimis ad pedes irati Ducis devoluto tantam furoris molem, tantum impetum placare contigiſſe. Ut ea una cum bonis Nucerinorum hominum (*b*) ſartaque tecta, ut ajunt, ab omni incommodo, jactura, moleſtia ſinceræ integraque conſervares quid faceres aliud? ecquis adeo conſilio eximiæ cujuſdam prudentiæ pleno effecit, ut ab Eminentiſſimis Patribus Joſepho Cardinale Imperiali, & Hanibale Cardinale Albano ſuccenderetur paterna charitas Benedicti Tertii Decimi ad vectigal ob ſalubrem aquam avehendam annuaſque penſiones ex ædibus vectigali pecunia extructis perpetuo Civium commodo (*c*) addicendum? videat (*d*) ne faciat impudenter, qui ſuo nomini velit ex aliorum laboribus libare laudem. quid Scipio, quid Rutilius, quid Metellus, quid Civis vel quivis optimus patriæ magis præſtare potuiſſet? o Præſulem vere lectiſſimum? ecquæ futura eſt tam barbara aut tam longinqua natio, quo non tanti beneficii a te in Nucerinam Urbem collati fama pervadat? ecquæ tam ingratæ literæ, quæ de tuis laudibus conticeſcant? ecquæ tam ſurda poſteritas, quæ clamores hujus populi admiratione virtutis tuæ excitatos non exaudiat? ecquis neget talem eſſe te virum, ut nulla res tanta ſit ac tam difficilis, quam tu non ex conſilio regere & integritate tueri & virtute

 con-

(a) *Cic. pro Leg. Manil.* (b) *Cic. Celio.*
(c) *Ex munificentiſſimo diplomate A. D. 1728. die 27. Julii lat. & cuſtodit. in Archivio Nuc. Civit. & ex monumento poſito in interiori magni Xyſti veteris Palatii fronte in Balneis, & ex altero in Aula Apoſtolici Palat. Prætor.* (d) *Cic. Rethor. novor. l. 4.*

conficere poſſis? ecquis non videat quaſi Phidiæ (*a*) Minervam illam in Arce, ſic (*b*) in tuo capite mentem pulcherrime repoſitam, quaſi dominam ſedere & reginam conſiliorum? O quæ oracula continenter fundit inſtinctu afflatuque divino! ſed jubetur Aaron in veteri lege geſtare ſupra pectus ſuum (*c*) doctrinam & veritatem: Jubetur numquam (*d*) in Sanctuarium ingredi ſine ſonitu: quo (*e*) voluntatem Dei oſtenditur ab eo debere populis prædicari. Labia Sacerdotis (*f*) cuſtodiunt ſcientiam. Epiſcopum oportet eſſe (*g*) aptum ad alios docendos. Itaque ſi immortalem ullam umquam es aſſecutus laudem, unam profecto, quæ ceteras omnes ſuperat, acquiris quotidie ob exhortationes ob monita ob ardens ſtudium curamque ſive rudem inſtruendi, ſive benemoratum ſervandi, ſive in meliorem frugem reſtituendi populum. Poſſem hic in medium proferre habitas ſingulis Dominicis Feſtiſque diebus in majori Æde Catecheſes, præclaraſque ſacrorum Librorum expoſitiones; poſſem recenſere quadrageſimali curſu ſupplendi ergo vices oratoris & perite & ſcienter & quam appoſite ad perſuaſionem extempore nec de ſcripto dictas conciones; poſſem commemorare Homilias celebrioribus Catholicæ Eccleſiæ faſtis proditas ex ore tuo non accerſitis fucoſiſque argumentis, ſed ſancta & vera Religione conditas. Ut quemadmodum vultus pacatus & conſtans in homine bene affectæ mentis & probi animi eſt indicium; ſic tua iſta eximia erga Deum pietas, quæ ſeſe in ſingulis quibuſque ſermonibus tuis primam offert, cogit omnes de te deque omni ſenſu animi

(a) *Minerva Phidiæ Statua, quæ in Arce Athenienſi collocata erat, opus Phidiæ longe nobiliſſimum, de quo Cic. in Tuſcul. 1. cap. 15. & proœmio ad Paradox. & apud Plin. l. 34. c. 8.*

(b) *Aon. Pal. Orat. 12. de felicit.*

(c) *Exod. c. 28. verſ. 30.*

(d) *Exod. c. 28. verſ. 35.*

(e) *M. A. Muretus orat. 19. Volum. ſecund.*

(f) *Malac. c. 2. verſ. 7.*

(g) *Paulus ad Timot. & D. Ambroſ. offic. l. 1. c. 1. Epiſcopi proprium munus docere populum.*

Digitized by Google

mi tui excellenteque doctrina præclare exiſtimare (*a*). Virtuti debetur (*b*) laus; ſed quæ de ingenii tui ſublimitate dici poſſent, ea conſulto prætereo, quia tu longe major eſſe quam mea te capere poſſit oratio. Nam quamvis te quidem certe firmiſſima hominum opinio ſit in tanto dignitatis gradu collocatum privatis ſtudiis, quæ jacent dumtaxat ſtrata in cellulis otioſorum, non poſſe vacare ſine maxima operæ publicæ jactura; gravioribus tamen curis expedito teſtor tamquam (*c*) Attico Heroi, tamquam (*d*) Hipponenſi Antiſtiti nihil tibi eſſe jucundius, nihil dulcius, nihil ſuavius, quam ſenectam ætatem ſtudendo, & docendo conſumere. Heus tu adulta ætas? quæ malum iſta tua ſocordia eſt? num expectas dum tantus ſapientiæ Magiſter te ſtimulis fodiat? non vides in fronte, in

 ocu-

(a) *Quo Paſtorali munere fungitur ſemper antea functus eſt. A R. D. Venantius Santinus Epiſt. præmiſſa Philoſ. Poſit. Fulginii Typis Pomp. Campana edit. anno 1758. & Epiſ. ſuo Chiappè dicat... Ecquis autem, amabo, eſt, cui non perſpecta & explorata ſint omnia? nemo noſtrum ſane neſcit, quam pervigil & indefeſſus Domus Dei ſpeculator omni tempore extiteris, quamque univerſas laborioſiſſimi officii tui partes feliciter æque ac inceſſanter expleveris. Sed pauca ego, miſſis ceteris, non præteribo. Magnam quotannis Diœceſis tuæ partem inviſere eamque monitis, adhortationibus, exemplis, edictis ſanctificare, diebus quibuſque feſtis in majori Æde hujuſce Urbis Catecheſes, ſacrique etiam Textus explanationes, diebus vero ſolemnioribus Homilias ad populum docte atque erudite per te ipſum habere, non ſemel autem quadrageſimali curſu ita conſueviſti Concionatoris vices extempore ſupplere, ut nullus vel repentinus ejus defectus te umquam imparatum invenerit; ad hæc liberaliter pauperum egeſtati conſulere, ſacramentales confeſſiones, cum fueris evocatus, excipere, lenitatem & manſuetudinem Patris cum diſciplina & gravitate conjungere, omnia perſequi, quæ ad gregis tui decus atque ornamentum pertinent, ad animarum præſertim utilitatem atque ſalutem cunctis denique Prælationis tuæ ritibus, cæremoniis, atque functionibus ſedulo & continenter adeſſe, hæc nimirum aſſidua vitæ tuæ inſtitutio fuit, quæ ita te exercuit, ut neminem fortaſſe reperire quis valeat divini cultus & muneris cum dignitate & pietate tanta obeundi ſtudioſiorem.*

(b) *Ariſt. l. 2. Eth.*

(c) *Gorgias Leontinus Iſocratis Magiſter centum & ſeptem vixit annos: nec tamen tam longævus ab opere, & ſtudio ceſſavit umquam. Sab. l. 1. c. 7.* (d) *D. Aur. Auguſtinus Hyppon. Epiſ. quamvis ſeptuagenario major ſemper tamen aliquid vel legebat, vel ſcribebat. Sab. l. 1. c. 8. Fulg. l. 8. c. 7. & Egnat. eod.*

Digitized by Google

oculis, in vultu denique toto ſtudium, deſiderium, ardorem progreſſus tui? Pro ſe quiſque quantum excolenda memoria poſſit aſſequi enixe contendat: Ictus in literarum ire plauſum maturet; patet enim omnibus honoris & gloriæ campus. ſimiliter faciat ut ſi equi inter ſe certent ad metam clamore populi exciti non æratis acti calcaribus. ſed amabo Juvenes veſtra bona cum venia me dicentem attendite. Recolite animo veſtro hujus vere magnifici, vere optimi maximi Collegii ſumptibus (*a*) ſuis ex integro ædificati fundamentorum ad ſolidum depreſſionem & ex quaque materia copiarum ſine avaritia diligentem electionem: Perpendite emendatam & ſine impeditione uſus locorum diſpoſitionem, aptamque & commodam diſtributionem: Ora oculoſque convertite in formam gratiſſimam ſpeciemque elegantiſſimam, membrorumpue commenſum juſtas habentem ſymmetriarum rationes: Ecquid ſibi vult tam firmum, tam utile, tam venuſtum (*b*) opus majori lacrima quam benedicta aqua (*c*) nuper aſperſum? quid tantum Ædificium? niſi ut in hoc ipſo loco, tamquam in opi-

---

(a) *Ex Publ. Nucer. hominum Comitiis habitis pridie Calend. Februar. MDCCLXII. & ex Rogit. perilluſtris Raynaldi Paulini celebrat. in Cathedrali Eccleſia coram Civibus & univerſo populo Nucerino die 7. Novembr. 1762. & ex Ep. præcitati Venantii Santini. Quam vero ardens, tuoque alte infixum cordi hucuſque inſederit ſedeatque adhuc liberales divinaſque artes apud noſtrates exuſcitandi amplificandique ſtudium atque conſilium, luculentiſſimum ſane, certiſſimum, perpetuumque præſtat teſtimonium, peramplum dico ac magnificum illud Collegium, quod ſumptu tuo nuper in hac eadem Urbe a fundamentis erigi curaſti, quandoque, ubi completum abſolutumque fuerit omnino, communis ſententia eſt, reliqua omnia quotquot nempe in hac Papali ditione conſtructa ad hanc uſque diem conſpiciuntur, ſtructura, magnitudine, ac pulchritudine ſua longe ſuperaturum; quod quidem unum, & ſi cuncta deeſſent cetera, ſatis abunde tamen eſſet, quo palam fieret, quam tibi ſit curæ, ut omnes in literas eodem, quo flagras, amore capiantur, utque doctrinæ vigor in hac Diœceſi tua creſcat, in dies floreat, ac jugiter perſeveret.*

(b) *Vitruvius c. 3. habeatur ratio firmitatis, utilitatis, venuſtatis.*

(c) *Collegium inceptum die 17. Octobr. 1756. ſolemniter benedict. ſub titulo S. Joannis Baptiſtæ die 7. Novembr. 1762. Vide Rogit. præcit. Raynaldi Paulini.*

Digitized by Google

opimo ac fertili agro, eodemque bene ac diligenter ſubacto & exculto, vobis ſcienter & pudice educatis quum doctrinæ magnitudine, tum vitæ ſanctitate præſtantibus numquam exinde alii ſuccreſcere continenterque propagari ac proſeminari deſinant, ut tamquam opportunæ plantæ lectiſſimæ & feliciſſimæ per univerſam Diœceſim transferri valeant? ecquid perpetua ſua vobiſcum jucunda mora? ecquid ſua jam dono data Bibliotecha tot tantorumque voluminum copioſa? ecquid magna præmia (a) honeſtarum artium ac ſeveriorum diſciplinarum Cultoribus prępoſita ac conſtituta, niſi ut eæ omnes ſpiritu & ſanguine recepto, depulſo prioris ſæculi malo, inertia, & contumacia, & dedignatione proficiendi, numquam futurorum temporum immanitate puniantur exiliis? Quæ quum ita ſint, clariſſime Præſul, illud conſecutus es, ut non modo ætatis noſtræ fructui ſervias, quod eſt mehercule ſumma gloria dignum; verum etiam futuris ſæculis conſulas, quo poſt homines natos (b) glorioſius eſſe nihil poteſt. o mirabilis prudentia tua! quæ nihil umquam expetivit, quod non eſſet cum honore, cum laude, cum dignitate conjunctum. Reviviſcant (c) Catones illi prudentiſſimi, reviviſcant (d) Socrates illi Ethicæ inſtitutores, quos inter ſi te recenſuero, certe quidem credo, erit verendum mihi ne non hoc potius omnes boni ſapientius a me, quam quiſquam ineptius factum eſſe dicat. quotus enim quiſque hominum eſt vel a Nucerinis finibus longe remotus, qui prudentiam tuam aliquando non audiverit, ſi ea longe lateque tamquam proverbium jucundiſſimum ab omnibus circumferatur ſimul una cum juſtitia; quam tam conſtanter tam ſancte cuſtodiviſti, ut tua fama numquam ad metas hæſerit, tua exiſtimatio numquam violata fuerit, tua auctoritas num-

(a) *Honeſtarum artium Profeſſorem eligendi jus Epiſcopo Chiappè ob innumera merita defertur in Publ. Nucer. hominum Comitiis habitis pridie Cal. Febr. 1762.*

(b) *Plin. in Paneg. Nullum eſt enim magno Principe, immortalitatemque merituro impendii genus dignius, quam quod erogatur in poſteros.*

(c) *M. Porcius Cato ex lib. poſteriore Cornelii Nepotis in omnibus rebus ſingulari fuit prudentia.*

(d) *Ethicam Socrates primus inſtituit. Iſidor. in Etymolog. & Cic. l. 5. Tuſc.*

quam imminuta? Juſto (*a*) reſiſtere non eſt facile. Tuus (*b*) oculus inſpicit omnia quæ fiunt. Tuus animus quodam modo aliquando erupit, & ſe ipſum prodidit accenſum atque inflammatum pio caſto auguſtoque zelo cultus Dei, & deſiderio communis boni. Tua mens ſolito major & auguſtior, quem juſtum & tenacem (*c*) propoſiti virum inveſtigaverat a te ſecundum ſemper adſumpſit, ut conſtans & perpetua ſibi voluntas foret ſuum cuique tribuendi, nequis ſibi plus æquo appeteret; nequis anceps dolo malo caperetur; nequis vigilans afficeretur injuria; nequis ab equo (*d*) Trojano dormiens opprimeretur; utque Judex quaſi libripens, qui vel damnum damno exæquaret, vel emolumento reſarciret, vel malum malo ulciſceretur & condemnatione compenſaret. Juſtitiæ vi in maximis populorum calamitatibus te ipſum contempſiſti, & incredibili charitate complexus es univerſos. nihil a te inique dictum reperitur, nihil impie factum. vixiſti ſemper & vivis ad præſcriptum rationis. numquam deflexiſti mentem ab æquitate. numquam progreſſus es longius quam honeſtum dictaret. neminem læſiſti umquam. nullum (*e*) potens afflixiſti umquam injuria, nec tum quidem quum fuiſti (*f*) laceſſitus; quin multos ab injuriis tutatus es, quos honoris cauſſa taceo. officia diſtinxiſti, deſcripſiſti munera pater æqui & boni: & ſi vir juſtus (*g*) non habet rationem privati commodi, ſed recto animi ſenſu, ſinceroque (*h*) & candido præditus ingenio fertur, ut (*i*) nemini noceat, & bonis proſit quamplurimis; hæc eſt præcipua tua & magna laus, ut nihil tibi antiquius exi-

(a) *Sophocl in Halæaſi.*
(b) *Heſiodus 3. Epigrammat.* (c) *Hor. 3. Carm. 3.*
(d) *Equus Trojanus, proverbiali ſchemate de occultis latebris conſpirationibuſque ad perniciem alicujus tendentibus. Cic. pro Mur.*
(e) *Menander. Vir juſtus eſt, non qui injuriam non efficit, Sed qui injuriam facere potens non vult. & Philemon in Palemede eodem modo locutus eſt.* (f) *Nuper veniam dedit cuidam impudenti, qui libellum famoſum valvis Epiſcopalis Palatii affixerat.*
(g) *Ariſt. Eth. l. 5. c. 3.*
(h) *Philemon in Palemede.*
(i) *Jamblicus in Epiſt. ad Anatolium de juſtitia.*

Digitized by Google

exiſtimes, quam oppreſſorum cauſſas ſuſcipere ac tueri, ac benemerentes homines digno munere remunerari. Hujus rei teſtes habeo quotquot in hac Urbe præclariſſima, quotquot in tota Diœceſi excellunt una quapiam virtute ſingulari, & in aſſequenda honeſtarum artium ſcientia operam & induſtriam ſuam collocarunt, & præcipue veluti majore quodam numinis afflatu perculſi, ceteris omnibus poſthabitis, ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes ſuas atque omnia ſtudia (*a*) contulerunt. Teſtes item habeo eos, qui accerſiti & præfecti erudiendæ juventuti, Dii immortales, qui viri, quibus laudibus! quo præmio cohoneſtati, ad quos dignitatis gradus evecti! ornamentis honorum (*b*) incitatur æmulatio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. At ſicuti boni homines ſummo merito collucentes ampliſſimis præmiis decorati ſunt, ſic mali in tenebris verſantes debitam pœnam ſubſtinuerunt. Nullam inſignem cœlo factam injuriam, quæ tibi magno mœrore lacrimiſque ſemper ſtetit, queis licet conſumptis, infixus tuo tamen animo ſemper hæſit dolor, inultam reliquiſti. hic ſi vellem detegere ſingula nomina eorum, quibus, ut pudoris & verecundiæ meminiſſent, quum facias id, quod eſt ad ſeveritatem lenius, ad communem ſalutem utilius, quum (*c*) melior ſit gradus lentior per iter rectum, quam velocitas feſtina per devium, metus incuſſus eſt, longa mihi habenda eſſet oratio; ſed in ejuſcemodi rebus modeſtia adhibenda eſt: non ſunt omnia libere dicenda ſemper: non ſcribenda omnia. Quæ dumtaxat inſinuo, ut audiat populus Nucerinus, audiant peregrini, quæ gratia habenda ſit tibi, per quem frui licet tanto ac tam excellenti bono: neque videri malum quemquam neque audiri. tempus & eventus oſtendunt juſque faſque volentem virum; veritatem enim dies (*d*) aperit: ſatis eſt, ſi quod ab uno te modo fit, poſteri Antiſtites exequantur. Vereor nequis ſit iniquus probitatis judex, qui forte putet me oſtentandi ingenii cauſſa hactenus tam multa dixiſſe. atque ita me omni-

(a) *M. A. Muret. orat. prima de dignitate ac præſtantia ſtudii Theologici.*
(b) *Simachus l. 10. Epiſt. 25.*
(c) *Leo Papa in ſerm. de Pentec.*
(d) *Sen. l. 1. de ira.*

omnipotens amet Deus, ut verum ex animi ſententia, nihil ſimulatum profertur, nihil fictum. narrantur iſta a me, & quidem debilius, quam rerum majeſtas ac pondus requirat. neque enim eſt quicquam tam magnificum dictu, quin id æquitas exuperet tua, vel ipſa de qua loquar temperantia major ſit quam a me verbis explanari queat. etenim (*a*) quæ tranquillitas animi tui, quod ſtudium manſuetudinis, quæ moderationis gratia, quæ honeſti cura, quæ decoris conſideratio? Certum ſcio te motus animi omnes in viſceribus hærentes a tranquilla, & beata vita abducentes compeſcuiſſe. certum ſcio te ex ſuga atque abſtinentia voluptatum tibi magnam voluptatem captare ſolitum. Nemo homo tam rudis eſt, qui neſciat te non exquiſitis cænarum ingeniis allici, non æſtu abſorberi inanis gloriæ, non ira incendi furoreque inflammari, non ſuffundi odio, non gravidum effervere invidia. Pro ſe quiſque certum habet te ne vel umbra quidem infici ſordis ac avaritiæ ruſticanæ, quæ (*b*) nihil tam integrum, nihil tam ſanctum, nihil tam religioſum eſt, quod non violet proſternatque. Tu extrema extremis conferens, & vitia vitiis exæquans revocas omnia ad mediocritatem. quemadmodum in Balneis Nucerinis, quum ex altera parte frigida ſit, ex altera fervens, neutra nemo quiſquam commode utitur: ſi qua neque fervens, neque frigida ſit, ea jucunda eſt, ea ſalubris; ſic tu in concitationibus animi quamdam mediocritatem tenes, quæ eſt inter nimium & parum, ut neque huc, neque illuc declines. Unde exoritur, quod ad Eccleſiaſtica ſedens ampliſſimæ Nucerinæ Diœceſis gubernacula, tametſi potens ſis, non periculoſe contendis cum iis, qui in eadem ſunt navi: ſi ceteris contra pandentibus vela Diœceſis non eum portum, quem ipſe maxime probas, ſed alium petit, non repugnas, non inhibes, quominus curſum tenere poſſit. nihil violenter facis, nihil ſuperbe, nihil potentia non ferenda: tractas omnia ſuaviſſime, arte, quæ leniat non exaſperet; ſanet non ulceret: moveat non perturbet animos. Raro (*c*) navis alliſa eſt,

quæ

(a) *Divus Ambroſ. de Temperantia & ejus partibus offic. l. 1. c. 43.*
(b) *Aon. Pal. Orat. 11. de temperantia. Juven. Satyr. 14. Virgil. Æn. l. 3.*
(c) *Lipſius ex Centur. 2. Epiſt. 38.*

Digitized by Google

quæ modico velo legit littus. Etenim quum (*a*) vident homines eum, cui maxima facultas eſt inſolenter agendi, modeſte ſe gerere, nolunt alii, quibus minor eſt facultas, quicquam inſolentius agere. Sed quid eſt, moderatiſſime Præſul, quod me de hac virtute agere jam amplius adlaborem, ſi neque nox tenebris obſcurare te hominem temperatum, nec privata domus parietibus continere vocem moderationis tuæ poteſt? Ut (*b*) aromata odoris ſemper aliquid adfricant tangenti; ſic boni & modeſti auram aliquam ſuæ virtutis. Quid (*c*) in omnibus excogitationibus, quam mitis ſeveritas, quam non diſſoluta clementia? Jure quidem optimo, quod ſedat (*d*) appetitiones, & efficit ut recte rationi pareat, dicitur temperantia ſanctimoniæ (*e*) genetrix. Sunt (*f*) quidem præclara, quæ in publicum profers, ſed non minora ea, quæ limine tenes. Vereor (*g*) ut hoc, quod dicam perinde intelligi auditu poſſit, atque ego cogitans ſentio. Potuit Cato tam adverſum animum ab omni venere, quam a lucro (*h*) habere: potuit Curius (*i*) agere vitam integerrimam: potuit Fabritius (*k*), Marcellus (*l*), aliique ſexcenti vitam ab omni culpa & turpitudine vacuam traducere naturam tantum ducem ſecuti. Difficillima una omnium eſt dijudicatio, in qua non verba, ſed animi ſenſum perpendimus: quem unum ex rebus omnibus cognitu difficillimum eſſe omnes ſapientes dixerunt: alioquin juvaret nos ingredi in animi tui penetralia auguſti, læti, alacris, quem neque interdiu agitant furiæ, neque terrent noctu tædis ardentibus. Caſtitas (*m*) tibi ingenita & innata, in-

(a) *Xenoph. de Inſt. Cyri. l. 8.* (b) *Lipſius ex Centur. 1. Epiſt. 78.*
(c) *Plin. in Paneg.*
(d) *Cic. in Tuſcul. 4. c. 9.*
(e) *Cælius l. 13. c. 25. ex D. Hier. & Diod. Sic. l. 2. c. 2.*
(f) *Plin. in Paneg.*
(g) *Cic. pro M. Marcello.*
(h) *Val. max. l. 4. c. 5. Plutar. in ejus vita, & Florus in Epitome;*
(i) *Val. Max. l. 4. c. 41.*
(k) *Val. Max. l. 4. c. 42. & 43.*
(l) *Plut. de ejus vita rebuſque geſtis.*
(m) *Plin. in Paneg.*

Digitized by Google

interque ea, quæ imputare non poſſis. Quæ enim illa ſanctiſſima gravitas ſententiarum, quam ingenua ſanctiſſimorum verborum veritas, quæ pura adſeveratio in integra voce; quæ pura affirmatio in integro vultu, quanta in oculis, geſtu, toto denique corpore puritas? immo ecquæ fama publicæ honeſtatis non ſuffulta vita tua eſt? quod privatarum rerum decus non hæret gloriæ? Cetera prætermitto, & facile patior ſileri, ne tanta in te morum ſanctitatis amplitudo extitiſſe, & parum a me celebrata eſſe videatur. Quoties enim, Auditores ornatiſſimi, veſtram Civitatem atque adeo Diœceſim ad vitam optime inſtituendam inflammavit exemplo ſuo? quoties vos eum vocis confirmatione vehementem, plenum ſpiritus, plenum animi omne nefas ſcelera omnia libere reprehendere audiviſtis, quum eorum maculis non ſit aſperſus? quæ quum ita certa ſint, ut tam ſtolidus ſit nemo, quin ſentiat eſſe veriſſima, jure optimo merito princeps Oratorum moderatio inquit (*a*) complexa eſt prudentiam, juſtitiam, & fortitudinem; de qua parce admodum: nolo enim ſingula tua fortia facta multis loqui, ne prope in immenſum diffundere videar orationem meam, & tua nimium abuti modeſtia, & auditorum patientia. Itaque non ſum celebraturus animi tui magnitudinem ob tolerantiam ceteris omnibus peroſam in tumulandis non bene olentium defunctorum corporibus. non ſum dicturus noctis integra itinera, ut errantes oviculas ad ſepta reduceres. non ſum prædicaturus prope ſupremam virtutem ob algores & æſtus perpeſſos, ſeu viſitandi ſacra limina Apoſtolorum, ſeu in Romano (*b*) Concilio ſententiam graviſſimam dicendi, ſeu præſtandi cauſſa ſuffragia ob augendum hujus magnifici Collegii patrimonium ob educandos nullo ſumptu Cives Alumnos, ſeu (*c*) perluſtrandi gratia, Pontificis optimi ma-

(a) *Cic. l. 2. de Fin. bonor. & mal. & l. 3. Rhetor. novor. & offic. l. 1. & Bernard. ſup. Cant. Ser. 23.*

(b) *In Concil. Rom. ſub Pontifice O. M. Benedicto XIII. Pontificatus ſui anno primo. Vide pag. 117.*

(c) *Ex hiſtoricis monumentis Ord. S. Hier. Congr. B. Petri de Piſis. Auctore iterum ac tertio laudato Rmo P. Joanne Baptiſta Sajanello ejuſdem Ord. & Congr. nunc Rectore Generali Tom. 1. l. 3. pag. 424. anno 1740.*

Digitized by Google

maximi Benedicti Quarti Decimi ſanctiſſima voluntate , univerſa in Æmilia inclytæ Congregationis tuæ Cœnobia . pertranſibo te ſolatium feſſis , ægris opem laturum gravitate loci & Cœli (*a*) affectis , haud tantæ malorum cauſſæ indormientem , non ſecus eorum ſpiritalem ſalutem ac tuam tueri appetentem antiqua virtute & animo virili dicto citius te dare inviam . Cetera denique oblitefcant . habeo aliquid , & id quidem permagni momenti , quod non vincere modo expectationem veſtram , verum in animis etiam poſterorum ſolidam poſſit opinionem inſerere atque fidem ſtuporemque interſecare . Unum perpetua ac ſempiterna ætas tamquam in ſpectaculo oſtentet ob omnium oculos monumentum . loquatur unum pro cunctis gloria portentum . Gualdum mortali vulnere accepto deſedit : at (*b*) quæ priori parte ſignificavi , nunc , ne ſim dicendo multiplex , acta jam præcognita prætereo . Jam conſertiſſima turba ante labem ex oppido egreſſa ſupinas manus ad Cœlum Deoſque tendebat plena lacrimarum ; & ſingultibus interruptis monebat ſeſe jam jam obrutum iri terra dehiſcente . heu crudele fatum ! heu ſors acerba ! nihil jam fuit propius , quam ut unum omnium ſepulcrum : tibi vero non modo uno plus ſæculo , ſed perpetuo ſumma omnium commendatione victuro nihil longius , quam timor . Si fractus illabatur orbis impavidum (*c*) ferient ruinæ . Generi (*d*) animantium omni eſt a natura tributum , ut ſe , vitam , corpuſque tueatur : Te, virum fortem & experientem ut homines miſeros & afflictos ad ſpem erigeres , iiſque ſpiritum ſaceres , ut qui bonus Paſtor (*e*) ponit animam ſuam pro ovibus ſuis , non pertæſum fuit vita tua (*f*) periclitari : quum (*g*) prudens & ſciens tamquam ad interitum rueres voluntarium . Ecquæ hinc totum ferme luſtrum oneroſæ ſarcinæ ,

quæ

(a) *Inſulam Foſſariam peſtis invaſerat .*
(b) *Alexander M. in Q. Curt. Ep. ad Ariſt. in Lat. verſa a Corn. Nep.*
(c) *Horat. l. 3. Od. 3.* (d) *Cic. l. 1. Offic. c. 4. & D. Ambroſ. Offic. l. 1. c. 27.* (e) *Joan. 10. 14.*
(f) *Præcit. R. D. Laurentius Amoni-Leli in Epiſt. prævia collectis carminibus .* (g) *Cic. pro Marcel.*

Digitized by Google

quæ laborum curarumque moles? & facere & pati fortia (*a*) atque adeo Genuenſe eſt. Æque ac Jacob quod ſibi laudi duxit potes & tibi gloriæ vertere: Die noctuque æſtu urebar & gelu: fugiebatque ſomnus ab oculis meis (*b*). Quæ res clarior, quæ glorioſior, quæ commendatior memoriæ hominum ſempiternæ? quid eſt, Dii boni, quod tibi majorem lucem afferre poſſit? quidquod gloriam nominis tui magis augere? quidquod tam accendere atque inflammare poſteros Præſules ad fortiter aliquid agendum? O quæ lætitia! o quæ voluptas! o quod gaudium! o quæ (*c*) alacritas animi tui percepta ex conſcientia rerum bene geſtarum! o virum ingentem & fama dignum immortali! tantum ſibi arrogant merita operum tuorum, impenſorumque pro grege ſtrenue laborum; qui ſunt jam majores, quam vulgus hominum putat: quum nullum tibi tempus liberum atque etiam ingraveſcente ætate nullum vacuum ab arduo munere quam ampliſſimæ Nucerinæ Diœceſis. Quæ tibi vita tua multo carior, ſi vocem emitteret, non alia quidem quam hac ratione loqueretur, & tecum ſic ageret. Salve & æternum vive Joannes Baptiſta præſidium gloriæ meæ ac dignitatis. quis enim me pluribus, quam tu cohoneſtavit, ornamentis? quis me majoribus, quam tu, cumulavit honoribus? quis nominis mei decus evexit magis ac propagavit? teneris undique: luce ſunt clariora merita tua, quæ etiam mecum licet recognoſcas. Tu omnium tuarum rerum oblitus de meo tantum commodo & tranquillitate cogitaviſti. Tu me lapſam erexiſti, depravatam correxiſti, infirmam corroboraſti, turbulentam compoſuiſti. Equidem ingenue fateor per te meam alioqui majeſtatem tantum recepiſſe incrementi, quantum meliori ſæculo vel umquam antea. Abhinc octo & triginta annos cœlitus tibi credita fui, & quamquam ampliſſima & tota fere montuoſa, per convalles pruina rigentes, per juga ferventibus ſolis radiis exæſtuantia, per rupes præcipites gravi tamen quocumque abs te deſpecto labo-

(a) *Et facere & pati fortia Romanam eſt. Mutius Scævola apud Liv. l. 2.*
(b) Geneſ. 31. 40.
(c) *Aon Pal. orat. 12. de felicit.*

labore, qui unus eſt accerrimus hoſtis famæ, quo ſit ut minime multi attingant quæ meditati ſunt, ſummo gaudio quotannis mei partem glorior peragrari. Ecquot aras, quot templa abs te dicata numero? quandiu factum eſt quod antea inauditum inſperatumque Epiſcopium recens Gualdi ſurrexerit? Si prædia Epiſcopalis Menſæ luſtro, video hic ædificia plura ex integro extructa, illic reparata; hic vetus S. Stephani dirutum terræmotu templum reædificatum, illic via Flaminia muros obeuntes arva Civitati contermina a fundamentis erectos. Si ipſam Urbem contemplor, abs te Cathedrale Templum, Turrimque reſtitutam, illudque ſuppellectile prætioſa ornatum, ejuſque Abſidem depictis Nucerinorum hominum Sanctorum ac Beatorum (*a*) Imaginibus nobilitatam miror: abs te Epiſcopii ſuperum inferumque limen reſtauratum conſpicio. Ad Collegii optima ſtudia perpetuo intenta mens tua animuſque; ubi veluti novellæ arbores ſterili loco natæ, quum in ſolum fecundius transferuntur, fructus ferunt uberiores, Adoleſcentuli liberalibus artibus exculti felicitate linguæ, qua non modo apte, ſed ornate & diſtincte & ſcienter loqui poſſint, Dii faxint, quam ſperem pluſculum fiant fructuoſi. Nullum jam tot annos bonum extitit niſi per te: nulla virtus floruit ſine te: tibi uni pauperum vita, tibi debetur Civium felicitas. Tu non ſolum ad promulgandas leges & quæſtiones, verum etiam ad inſcribendas peracris acumine ingenii tui, Synodiſque confirmandas totis viribus incubuiſti. Quod momentum; quod (*b*) immo temporis punctum, aut beneficio ſterile, aut vacuum laude? Superioribus fateor annis felix fui per tuos Prædeceſſores, nunc vero feliciſſima propter te unum. Pôl debebunt tibi etiam Succeſſores tui. quid dico debebunt? parce mihi, de te jure non iniquo etiam conquerentur; nam ſplendore hoc tuo, quo ipſos illuſtras, non parvo quoque incom-

(a) *S. Felix Martyr, & S. Conſtantia Martyr. S. Hoſpitius. B. Angelus. S. Reynaldus Epiſ. S. Feliciſſimus. B. Tomaſſutius. B. Dominicus. Sunt & alii Beati & Sancti Nucerini, ſed non depicti in Abſide Cath.*

(b) *Plin. in Paneg.*

commodo oneras: efficis enim (*a*) virtutum tuarum magnitudine, ut omnibus difficile futurum ſit tibi ſuccedere. Nemo Jupiter eſt (*b*) tam tui, tam ignarus ſui, ut locum ipſum poſt te concupiſcat. facilius eſt, ut eſſe aliquis ſucceſſor tuus poſſit, quam ut velit. Quis enim curæ tuæ molem ſponte ſubeat? quis comparari tibi non reformidet? O utinam in poſterum Deus optimus maximus tibi ſimiles bene multos mihi Præſules largiatur, quorum optimis moribus optimiſque doctrinis rebuſque geſtis cunctæ res mihi commode cadant, & mira in me ſit quies, & ſolidum gaudium creſcat in diem ac germana felicitas, inque ea jugiter acquieſcam. Hæc ſi tecum, ut dixi, Diœceſis loqueretur; nonne plurimum orationi meæ prodeſſet, etiamſi ego dicendi vim adhibere non poſſim? ſed quæ humanæ eloquentiæ facultas tanta in ullo oratore eſſe poteſt, quæ virtutes tuas reſque geſtas non dicam exornare, ſed enarrare pro dignitate ſatis valeat? omnia ſi tantum hac una oratione recenſere mihi eſſet animus in præſentia, haud aliud profecto efficerem, ac mihi faciundum putarem, ut male feriatus ille, qui (*c*) ſolem ipſum illuſtrare maligna candelæ luce moraretur. Dejiciamus igitur vultum, ne perſtringatur animus tam inuſitato laudum ſplendore. Contigit enim tibi, non quod Aquiloni evenire ſolet, qui quum, unde oritur, ibi vehementiſſimus ſit, ad longinqua fere fractus debilitatuſque pervenit, ſed quod ingenti vaſtoque Nilo, qui quum ab ortu ipſo magnus ſit, perpetuo tamen auctus, & tumefactus progreſſu, eo majores undas volvit, eo amplioribus ac capacioribus fertur alveis, quo a fonte ac capite ſuo longius receſſit. Sed quo (Dii immortales!) vectus ſum oratione mea, ut mei pene oblitus, in viam, quæ habenda erat, amplius reverti nequeam? arbitror non inconſulto me audaciæ notam ſubiiſſe, qui ante alios extra ordinem cucurrerim, qui partes ſuſceperim facultati meæ impares, qui peroraverim nullo nomine rogatus, ſciens altas

(*a*)

(a) *Urbanus Freidenreich Bavarus in Paneg. ad Maximilianum Bojorum Ducem.* (b) *Plin. in Paneg.*

(c) *Mænochius Epiſt. præmiſſa ad jus Civ.*

Digitized by Google

(*a*) mentes ea, quæ præclare ac fortiter geſſere, nolle humiliter dici; & aut nullam amare laudem, aut factis parem, quam ego præſtare non potui: haud tamen ego gravate patiar, ut dicatur me male locutum, vera (*b*) narraſſe. Etenim ingenue fateor, & credant alii etiam me dicente, habuiſſes me omnino, Joannes Baptiſta, majorem oratorem, ſi ad minorem Præſulem dicendum fuiſſet: itaque tua cauſſa audiviſti pejorem. Sed quum mihi nihil glorioſius, nihil gratius, ne tempore quidem ipſo opportunius, patrocinio tuo poſſit accidere, hoc exile erga te mei & incultum officii genus humanitate animique magnitudine boni conſule; & hilari lætaque fronte non laborum meorum tenuitatem, ſed animum meum tibi addictiſſimum agnoſce & protege. Quod ſi, ut ſpero, præſtiteris, id efficies, ut meus alioqui propenſus in te animus, magis & magis accenſus inflammatuſque, aliam primo quoque tempore idoneam nactus occaſionem, ſingulares atque eximias virtutes tuas, admirabilem in rebus gerendis prudentiam, ſummamque in illis adminiſtrandis juſtitiam, & æquitatem, temperantiam vitæ adhibitam, fortitudinem prope ſupremam, ceteraſque præſtantiſſimas mentis tuæ & animi dotes, quibus te ceteros quidem albis, ut ajunt, equis (*c*) Joviſque quadrigis longe præcurrentem jure optimo merito omnes Nucerini homines, omnes finitimi populi, omnes exteri viri, omneſque Antiſtites, & Purpura inſigniti Principes huc quam ſæpiſſime confluentes admirantur, ſuſpiciunt, & divinis prope laudibus in cœlum efferunt, graviore atque ornatiore ſtylo deſcribere contendat. Dixi.

(a) *Urb. Freidenreich Bavar. in Epiſt. ad Lectorem præv. Paneg. ad Maximil.*

(b) .... *at is optime te laudaſſe videatur, qui narraverit fideliſſime. Plin. in Paneg.*

(c) *Prov. omni conatu Cic. ad Q. F. l.2. omni celeritate Plaut. in Aſi.*

Digitized by Google

IMPRIMATUR

JOSEPH Canonicus Torelli pro Illmo, ac Revmo EPISCOPO Fulginat. Librorum Cenſor Deputatus.

Panegyricus Illmo, ac Revmo D. D. Jo. Baptiſtæ Chiappè Epiſcopo Nucerino dictus in Collegio S. Jo. Baptiſta a Preſbytero Laurentio Angelini Honeſtarum Artium Nuceriæ primo Publico Profeſſore nihil continet vel ſanæ Fidei, vel rectis moribus diſſentaneum, illum itaque publici Juris fieri poſſe cenſerem. Dat. Fulginia hac die 21. Septembris 1763.

ALEXANDER Barnabo ex commiſſione Rmi P. Mag. AMBROSII Chiappini Inquiſitoris Generalis Spoleti.

Attenta ſupradicta Relatione IMPRIMATUR

AMBROSIUS MARIA CHIAPPINI Ord. Præd. Mag. in S. Theol., & Inquiſitor. Generalis S. Officii Spoleti.

Digitized by Google